

**Exercitatio medica de chylificatione ... / publicae eruditorum disquisitioni
submittit Paulus Ancillon.**

Contributors

Ancillon, Paul, active 1688-89.
Harder, Johann Jacob, 1656-1711.

Publication/Creation

Basileae : Typis Jacobi Bertschii, [1688]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t564gsz7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EXERCITATIO MEDICA
DE
CHYLIFICATIONE,

Quam,

Divino adjuvante Numine,
PERMISSU ET CONSENSU
Magnifici atque Excellentissimi Medicorum
ORDINIS

In

Inclytâ Rauracorum Academiâ,

P R A E S I D E

Viro Celeberrimo, Experientissimo

DN. JOH. JAC. HARDERO,

Phil. & Med. D. Anatom. & Botan. Prof. Ex-
cellentiss. Sereniss. Marchion. Badens.
Archiatro, &c.


Ad d. VIII. Junii Ann. MDC. LXXXVIII.

Publicæ Eruditorum disquisitioni
submittit

PAULUS ANCILLON,
JOSEPH. FIL. Metens.

In Aulâ Medicorum.

BASILEÆ, TYPIS JACOBI BERTSCHI.



V I R I S

*Munerum Amplitudine, Generis Splendore,
Eruditionis famâ Celeberrimis,
Clarissimis,*

DN. IOH. IAC. HARDERO,

Phil. & Med. Doct. Anatom. & Botan. Prof.
Excellentiss. Sereniss. Marchion. Badens. Archiatr.
S. R. I. Acad. Naturæ Curiosor. & Patavin. Illustr.
Recuper. Socio Dignissimo, Præceptori ac Ho-
spiti ætatèm colendo.

DN. PAULO FERIET, JC.

in Vrbe Metensi Consuli Amplissimo, Avun-
culo plurimum honorando.

DN. CAROLO ANCILLON,

I. V. D. in Vrbe Metensi olim Causarum Patro-
no Callentissimo, nunc Berolini Prætori Gra-
vissimo.

*Hasce Studiorum Primitias humillimè offert
& consecrat*

AUTHOR & RESPONDENS.



I. N. D. N. J. C.
EXERCITATIO MEDICA
De
CHYLIFICATIONE.



I. Vemadmodum jugi fluidi motu & perenni influxu, sedulâque partium principum in fragili corporis animalis machinâ functione vita usq; perennat, ita dubium non est, solidam fluidamque corporis nostri substantiam motu usque absumi, & ad hunc conservandum, nevē individui salus periclitetur, alimentis opus esse quàm maximè, è quibus tritura-
2. tis, digestis, debiteque solutis, particulæ dulces, chylosæ eliciantur, quaæ massæ humorali deinceps traditæ mistæque, præcociorem jacturam impe-
diant. §. Actio hæc naturalium prima, Chylificationis, (*χυλώσεως*) nomine in Medicorum scholis commodùm insignitur, estque nihil aliud, quàm chyli ex alimentis assumptis in ventriculum, inque hoc & intestinis tenuibus tantisper commorantibus, ope fluidi maximè activi, ceu menstrui digestorii, cùm in ipsis secreti, tum aliunde accedentis electio

A 2 atque

3. atque confection. §. Materiam proin chyli alimenta constituunt, quæ cibo solido, potuque liquido aliqui complectuntur: Aristot. verò l. 2. de part. animal. ὑγρὴ καὶ ξηρὴ nomine appositè denotasse videatur. vid. sis Clariss. Dn. Præsid. cap. 2. de Humorib. Illis certè ex particulis composita, à quibus cùm fluidorum temperies, tum etiam solidarum partium
4. configuratio & textura conservari potest. §. Ista autem priùs quam Ventriculi antro excipiantur, mutationem non levem in ore experiuntur, quam Galenus l. 3. de facult. animal. c. 7. tritici mansi exemplo probat, quo crudi furunculi illicò mutantur & coquuntur, cùm priùs apertè dixisset: ή τῆς τροφῆς ἐν τῷ σώματι ἀλλοίωσις, μεθίσησιν ἀυτὴν ἐναργῶς εἰς ἔτερον ἐσθίου, & μὴν εἰς τέλον γε μελακοσμεῖ. Commixnuntur sanè masticando solida edulia, durissimique cibi, si diffingi prorsus discindiique dentium ope nequeant, ita subiguntur, ut reseratis poris artius occlusis, immutataque hinc tantisper ipsorum texturā, apti evadant, è quibus penitus dissolutis, chylosæ particulæ elicitaæ in vascula propria sequentur: §. Hunc in finem provida natura non dentibus modò hominibus prospexit, ita quidem conformatis, ut incidendis frangendisque, imò contendis solidioribus alimentis sufficient, sed maxillam insuper inferiorem musculorum ope ad superiorem allidere, dentesque hujus alveolis insculptos cum illius incolis collidendo jugiter concurrere voluit, ut sic iteratâ allisione, utrinque discinderentur particulæ invicem arctius compactæ. §. Cuniculorum certè, porcellorum Indicorum, equorum & aliorum fortè animantium, si non modò primores dentes, acutos satis, sed delitescentem post hos in utrâque maxillâ seriem egregiam, cum sinistræ mecha-

mechanicā motitatione contuiti fuerimus, deprehendemus ceu sub ferræ denticulis versarentur, ingesta comminui ac limari posse, Naturâ in animantibus aliis, dentibus ita non instructis, (de quibus prolixius heic dicere non attinet) negotium isthoc aliter vel supplente vel perficiente, vid. sis supr.

7. citat. cap. 2. Prodr. Physiol. §. Aliud autem comodum insuper ex trituratione hac accedit, enim verò strenuè hunc in modum musculis maxillæ inferioris collaborantibus, accedente unâ necessariâ linguæ eâque continuatâ volutatione, fontes salivæ usque aperiuntur, affluitque copiosè in os propulsus liquor, comoda necessaria non heic saltem, sed cum ingestis deglutitus insuper præstiturus: §. Est ergo, ut rectè fatur Celeberr. *Bohnus* Progymn. 4. majoris longè ponderis alteratio, quam à salivæ commiscela expectant ac sustinent solidiora, etenim dum ista particulis suis aqueis, aliisq; à quibus majorem activitatem habet, quam tamen spiritus æthereus potissimum conservat atque suscitat, reseratis alimentorum poris sese insinuat, eaque rigidis ac duris molliores atque flexiores facit, dissolvit unâ ipsa, magisque liquefacit, manusque auxiliatrices ferentibus aëris externi particulis subtilissimis maximèque activis, quæ interstitia usque pervadere nituntur, compagem illorum magis magisque solvere, fibrillas diffingere, sicque ligatas, varieque invicem unitas, variis generis particulas sui juris facere, & quiescentes modò, in motum deducere solet, non parvo subsecuturæ dehinc chylificationi in Ventriculo & intestinis adjumento.
9. §. Nec verò opus esse arbitramur, humoris istius activitatem, multò minus fluidi subtilis ἐνέργειας, pluribus heic probatam dare. Testatur de illâ quo-

tidiana experientia, evidensque malum, quod ejusdem inertiam, vel defectum profusionemque excipit, confirmatque Virorum Clariss. authoritas ratione suffulta, adeo ut memorante Excellentiss. *Bohnio*, solvens catholicum mineralibus quoque inde promiserint: Neque latere potest Eruditos experimentum, quod cum salivâ & pane, aut alio quo vis edulii genere instituit Clariss. *Tackius*, cuius Excell. Dn. Praeses meminit in Schol. ad usum part.

10. cochleæ. §. Et qui clarius ad nominatam liquoris nostri efficaciam alludere potuisset Galenus, atq; ipso cum Veterani omnes, qui ex immutatione texturæ, mutatione suscitationeque odoris ac saporis ingestorum, ut quæ ἀποια modò erant, dum in ore tantisper voluntur, quoad dictas qualitates, brevi sensibiliterque immutentur, imò etiam coloris, (quamvis hoc ultimum fortius premere nolimus) non levem à saliva factam fuisse ciborum alterationem augurati sunt: Inde Gal. cit. l. τὸ φλέγμα τύπι κατὰ τὸ σόμα, οὐκ λειχήνων εἰς ἄκρω καὶ σκορπίους ἀναιρεῖ παρεχθῆμα, καὶ πολλὰ τῶν ιοβόλων θηρίων, τὰ μὲν ὅθεως ἀποκλεῖει, τὰ δὲ ὕστερον. ἀλλὰ τὰ μὲν μεμασημένα σιτία πρῶτον μὲν τύπῳ τῷ φλέγματι, βεβρεκτά τε καὶ πεφύργιται. &c. §. Estque hæc à saepius laudato liquore fieri solita maceratio & subactio, non minùs necessaria quam utilis, utpote quam particulæ sapidæ magis eliciuntur, suique juris redditæ, papillas linguae nervæ blandè afficiendo ac deliniendo, subsequentem amicâ spirituum undulatione, semetipsas animæ nostræ quasi sistunt dijudicandas, gratumque de hinc in ipsâ ciendo sensum, appetitum pro viribus fovent, suscitantque non raro citra omnem nauseationem, quæ ingratorum spicula frequenter comi tatur. §. Hunc ob finem haud dubiè per plures canaliculos

naliculos, Deus O. M. humorem tam utilem, in os effundi voluit; detexit enim Anatomicorum industria, præter ductus binos è sublingualibus glandulis prodeuntes, quos Galeno jam notos, imò ab hoc ipso variis in locis eleganter descriptos fuisse, patet ex l. 2.c.6. de sem. l. X. de us. part. c.XI. & XII. Vid. sis etiam Clariss. Almeloveenii Invent. Nov antiq. p. 154. & 55. (quibus tertium par hisce proximum, & tantum non ex eodem fonte scaturiens adjunxerunt Clar. Viri quidam) ductus salivales superiores, à parotide conglomeratâ oriundos, quos accuratissimæ Stenonis diligentia hactenus adscripsimus, palatinos item anteriùs sese exonerantes, porosq; excretorios innumeros secretam cùm in buccarum glandulis, tum in glandulosa palati carne, salivalem humiditatem per tunicam super extensam, tanquam cribrum perforatum extillantes, ut taceamus circa faucium extremitates conspicuas tonsillas, & glandulam maxillarem internam, cuius ductum pone dentes incisores inferiores, inter gingivas & papillam quandam ad os aperiri Author nobis itidem est Celeb. Bohnius Circul. Physiol. Clariss. verò Nuckii ductum salivalem meritò præterimus, utpote in humano corpore non existentem, ceu verè scripsit Excell. D. Præses in Apiar. Observat. Nuper quoque cùm in equi Anatome venaremur eundem, nec ductus nec glandulæ vestigia reperi potuimus. §.
13. Quicquid sit, ex his sanè fontibus quod venit omne, salivalis liquoris nomine complectemur tantisper, quo pariter uti externo fluido turgescentes triturati cibi, linguæ operâ accedente, in œsophagum mox, hincque ventriculum, fibrarum ejus spiralium beneficio truduntur, ulteriore dissolutionem illicò experturi, hoc ipsum deglutitionis negotium, liquore eo-

14. re eodem, vias lubricando adjuvante. §. Ut autem inter ventriculi pomœria aliquandiu subsistat noviter appellens hospes, fibrarum carnearum series præstò est exteriorum pariter ac internatum, rectarum, circularium, transversarum, quas nervearum propagines usque interfecant, ut officio suo facilius & felicius defungantur, enimverò hisce agentibus & in orbem quasi circumductis, constringitur & coarctatur interior cavitas, complectitur que ventriculus fortiter ingestos bolos, qui in plicas modò coactum & vacuum replere & extender ceperunt, uti quidem de hac fibrarum structurâ atque actione eruditè scripsit Clariſl. Williſ. part. I. Pharmac. Ration. aliique: legi etiam possunt, quæ Schol. ad Observat. 64. Excell. Dn. Præses inseruit.

15. §. Commoda quæ istam fibrarum actionem comitantur, varia sunt, præterquam enim quod ita necessaria ciborum retentio, pro omnimoda ipsorum liquefactione peragitur, massaque soluta commodùm versus intestina adigitur, coangustatione insuper hâc ipsi comprimuntur, & prout sæpè laudatus *Bohnius* auguratur, iteratis contracturis magis atteruntur, præcipue autem è glandulosa ventriculi substantiâ, liquor spirituosus valdè, maximeque digestivus emulgetur, fermentum Ventriculi aliis datus, qui concoctionis in Ventriculo & hiac chylificationis causa efficiens præcipua hodie habetur.

16. §. Hujus natales ostendere facilis fortè est, quām naturam sive essentiam ipsam explicare; Constat siquidem glandulas modò laudatas tunicæ nerveæ intertextas, vasorumque hinc varii generis, nervorum præprimis, sanguiferorumque copiâ appositè instrui, quorum illa, animalem spiritum, æthereæ naturæ, præcipuarumq; actionum opificem, jugiter suppe-

suppeditant. Hæc verò laticem serosum, (arteriosa
nempe) sanguini adhuc commixtum, abundè adve-
hunt, earum legitimâ configuratione secernendum,
inque ventriculum, ex oscillis largiter concoctio-

17. nis tempore stillandum. §. Fluidum istud acidum
esse, Vett. tulisse potest sententia, è liene per vas
breve acidum ad ventriculum transmitti statuen-
tium, quod appetitum suscitet atque restauret, asse-
rent verò quotquot fermento acido volatili inesca-
ti, ingestorum dissolutionem plenariam inde, ejus-
vé cum particulis istorum salino sulphureis misce-
lā, chyli lacteum colorem nasci persuasum habent:
Magna omnino nomina, & quibus assentiremur

18. adhuc, nî experientia refragaretur. §. Animalium
certè ventriculos studiosè lustrantibus, omnibus
contentis probè priùs elotis, talis acor usque non
occurrit, quem alias spirare Viror. Clariss. fert opinio,
fiq' acida miasmata nares quandoque feriunt ab
assumptorum reliquiis provenire ea possunt, crustæ
ventriculi inerrantibus: In ranarum, serpentum,
aliorumque his affinium ventriculis, membraneis
nerveisque ad aspectum, acidum ejusmodi nusquam
deprehendimus, cùm tamen serpentes integras ranas
devorent, inque succum chylosum convertant, §.

19. accedit, quòd spicula ejusmodi acidi ventriculi stru-
eturæ tam teneræ, inimica magis videantur esse,
quàm proficia, quorum efficaciam dolores lanci-
nantes & rodentes pertinacissimi, in statu morboſo,

20. non rarò in homine commonstrant. §. Neque ve-
rò soli acido vis solvendi inest, cùm alcalica quo-
que salsa ac sulphurea potentiam menstruali
possideant, ceu eruditè notat Accuratiss. *Bohnius*;
eaque interdum esculenta assumantur, quæ acidis
alias haud parent, ceu pinguia sunt & oleosa, in

chylum dehinc nihilominus facessentia, ut reliqua
præfat. Celeberr. Viri ratiocinia prolixius in me-
dium non adducamus, ceu quæ à sciendi cupidis in
ipsius Circul. Physiol. videri possunt. Canes quoque
ossa copiosè ingerere, nec minus feliciter commi-
nuere, digerere, succumque chylosum illinc elicere
experienciâ constat, cui sanè operi num fermentum
acidum idoneum vel sufficiens sit, meritò cum Ex-
cellentissimo *Brunnero* dubitamus, qui experimen-
tis pluribus edoctus, liquoris hujus fermentativi exi-
stentiam identidem in dubium vocat, tract. de Pancr.

21. usu. §. Arduum sanè in isthoc opinionum discri-
mine, experimentorumque pondere sententiam
exponere; attendantibus nihilominus nervulorum
quibus glandulosa tunica stipatur copiam innume-
ram esse, plurimamque arteriolarum cohortem, fa-
cile patebit laticis aquosí multum utique afferri,
plus autem adhuc spiritus animalis affluere, men-
struumque hinc exurgere, summè spirituosum,
activissimum, cuius certè ea sit natura, ut reseratae
alimentorum massæ, liquore salivali, particulisque
aëreis turgidæ, & fibris ventriculi arctè conclusæ,
undique sese insinuando, motum in ore trituratio-
ne inchoatum, usque ingeminet, suscitet, augeatque
& hinc obstacula quævis, intimorem miscelam
impedientia, abolendo, omnia pervadat, corpuscula
dura emolliat, dissociet unita arctius, solvat com-
pacta, discidat, diffringat, sicque continuatâ hac
intestinâ motitatione, quam particulæ eduliorum
sui juris redditæ identidem adjuvant, (fermentatio-
nis nomine alii exprimunt,) in massam liquidam

22. singula convertat. §. Atque ista spiritus animalis
indoles est, ut cùm sit corpus maximè subtile &
activum, motum suum perpetua re nitatur, obicesq;
quosvis

quosvis resistentes aperiendo amoveat, inque par-
ticulas aliás impingendo, eas disstringat, dissocietq;
neq; quiescat, donec libero motu potiri, inque lau-
dabile & uniforme corpus alimenta etiam in stoma-
cho redegerit: Facit proin iste præcipuam menstrui
digestorii partem, latex verò, qui à sanguine appel-
lente in glandulis sequestratur, quemque particulis
salinis gaudere negari utcunque nequit, ejus nudum
vehiculum non est, sed (sin aliud nil) ingesta mo-
dò contrita dentibus, ulterius diluit, dissolvitque, ut-
que commodiùs penetrare queat *ille* efficit, vid. sis
Cl. Dn. Præsid. Dissert. de struct. viscer. imò si ali-
quos audimus ipsiscum alimentorum particulis eli-
23. citis quadantenus combinatur. §. Soluta hunc in
modum & colliquefacta edulia in duodenum sen-
sim, reliquaque tenuia intestina protruduntur, fibris
ventriculi circularibus istud negotium, blandâ sui
contractione, laterumque ad se invicem legitimâ
adductione, egregiè promoventibus: Neq; verò puta-
mus orificium utrumq; superius & inferius ita strin-
gi à fibris circularibus ut *illud* (cujus clausuram fibræ
musculi diaphragmatis inferioris strenuè juvant)
bolo cuivis vel fluido adventanti, resistat, ne-
que introitum concedat, *hoc* autem præter dictas
fibras, in epistomii formam ita elevetur à tunica
nervoso glandulosa, ut chylo etiam fluidiori omnem
exitum præcludat, cùm & experientiæ sanæque ra-
tioni istud aduersetur, quarum illa in ruminantium
canumque sectionibus massam chylosam fluidam
commonstravit, Ventriculis necdum inanitis,
imò plenis semiplenisque existentibus: *haec* verò li-
quaminis paulatinam in duodenum extillationem
tantum non dicitet, pro commodiore chyli com-
24. plemento & à fæcibus alvinis secretione. §. Per-
fectio-

fectionem itaque suam in intestinis tenuibus chylus
consequitur, dum ista non modò tunicarum, sive
substantiæ ipsius, sed in primis etiam fluidi affluen-
tis, ratione continuatus quidam ventriculus existunt.
Notatu digna sunt, quæ cit. l. 3. de natur. facult. Gal.
commemorat: Μὴ γὰρ ὀστεοπαρεβλῆσσον εἴη τὸ τῆς ὑπερ-
βολῆς, εἰ τὸ καθά τὴν κοιλίαν συνοήσαιεν, Φλέγμα καὶ χο-
λὴν καὶ πνεύμα καὶ θερμασίαν καὶ ὅλην τὴν ὄστιαν τὸ γαστέρα
εἰ ἐξ αὐτῆς συνεπινοήσαις αὐτῇ τὰ παρακείμενα σωλάγχια,
καθά περ τῷ λέεντι μεγάλῳ πυρὸς ἐσίας πολλάς &c. De
calore partium adjacentium, chylificationem in ven-
triculo forente, per subtilium particularum com-
municationem, plura heic non fabimur, usque ve-
rò persuasum habemus., quæ Venerandus hic Vir,
de bile, pituita, spiritu, calore, imò tota Ventris sub-
stantiâ heic eruditè profert, non minus ad intestina

25. quām ventriculum specialiter trahi debere. §. Et
sanè ratione substantiæ, præstò sunt fibræ carneæ
rectæ pariter ac circulares, quæ liquefacta à Ven-
triculo in duodenum, ac ulteriùs deinceps descen-
sura, non modò complectuntur, sed continuato mo-
tu superiora & inferiora versus, eadem ulterius ex-
agitant, simulque efficiunt, ut cùm ex intestinali-
bus glandulis, lympha per porulos quasi pressa, ju-
giter extillet cum spiritu æthereo, tum etiam ex vi-
cinarum partium excretoriis ductibus, fibrillis ea-
rum contractionem vicissim crebriùs ineuntibus,
humores secreti copiosè appellant, ultimam chyli
confectioni, inq̄ue vasa lactea secretioni, manū,

26. singula adhibitura. §. Succi hi decantati sunt *Bilis*
per ductum maximè hepaticum, & hinc etiam ex
vesicula fellis accedens, & *succus pancreaticus*, per
ductum *Virfungianum* ab Authore suo sic dictum af-
fluens, de cuius aciditate, & illius alkali, mutuaq̄ue
invicem

invicem effervescentia, multa omnino Viri cœterà celebres, orbi eruditò prodiderunt, quod autem à multis hoc tempore pari fide vel veneratione non accipiuntur, utpote quibus detectis licet bilis particulis salinis, oleosis &c. acquiescentibus, lymphæ pancreaticæ tamen aciditas suspecta est valdopere, neque institutis multâ sedulitate experimentis respondere visa. Vid. sis Clariss. *Brunneri* Experiment. circa pancreas, & Excell. *Bohnii* Circul. Physiol. p.

27: 152. &c. §. Propterea omni usu succos hosce care re sapiens nemo afferet: (vid. Exercitat. Anat. Med. Pæon & Pythag. pag. 221. & seqq.) probantque eum maximè, quæ ex ipsorum defectu vel inertia gravia subsequi solita sunt symptomata, chylificationis læsio, & hinc hæmatoseos vitium non leve cachexia, hydrops &c. Verisimile hinc nobis fit à pancreaticâ lymphâ pariter at intestinali, particulis massæ adventantis crassiores dilui, fluidioresque reddi & ad plenariam evolutionem aptiores, si omnino salis ipsius nulla sit efficacia, juxta quoque re sic hortante attemperari posse bilis, etiam extra chylificationis tempus, ad intestina fluentis acrimoniam, quod probabiliter ostendit, ductus pancreatici cum biliario ferè communis in duodenum insertio, per commune ostiolum humorem secretum utroque effundente, ceu in canibus sæpen numero, & præteritâ hymene, in sectione publicâ in Adolescenti ab Excell. D. Præside exenterato conspeximus: Bilis vero usum, (præterquam quod quæ ex Vesiculâ accedit, fluiditatem ejus quæ per porum accurrit, aliquando emendare valet,) conjectamur esse singulariter, ut particularum oleosarum (crassiorum præcipue) ope, cum terrestribus & crassioribus, sed solutis adhuc fluidisque se jungat, sicque ad justam confi-


- stentiam fæces alvinas paulatim perducat, unaque
impedit sui admixtione ne vel oleosæ guttulæ
chylo supernatent, vel terrestres atomi omnes sece-
dant, & cum fæcibus excernantur: §. Porrò succi-
27. biliosi beneficio, particulæ chyli crudiores quidem
viscidiores vè inciduntur magis & dissolvūtur, oleosæ
verò & terreæ cum serosis placidè cōbinantur, eam-
que consistentiam acquirunt, quæ chylo per crustam
intestinorum glandulosam filtrando, tubulisque va-
scularum lacteorum excipiendo, necessaria est
28. quām maximè. §. Universi verò & singuli hi
humores, præterquam quod animali Spiritu sub-
tili & activo, usq; prægnantes sunt, ab eodem nihil-
ominus per nervulos ad intestinales glandulas fre-
quentissimâ serie dispersos, magnâ copiâ, chylosi vi-
gente, affluente excitantur, actuaturq; tota massa, ejus-
vè particulæ, si quæ solutæ satis non sunt, aut indigestæ
sunt adhuc ulterius diffinguntur, solvuntur, colli-
quantur, factâque commodâ homogeneous miscelâ dictorum liquorum ope, bilis præcipue, hetero-
geneæ crassiores & fuculentæ separantur, & in intesti-
na crassa protruduntur, illis ceu nutritiis dulcissimis,
cum sanguine mox intimus miscédis, ubi receptacu-
lum solenne per lacteas venas advectæ evaserint, sicq;
chylus ultimam sui absolutionem consequitur. §.
29. Priusquam hinc abeamus, siquidem de spiritus æthe-
rei ubere affluxu verba modò fecimus, memorenda
sunt, quæ de singulari fibrillarum nervearum, nervu-
lorumque conglomeratione, ipsorumque utilitate
(in quæ occasione glâdularum in duodeno ab Excell.
Brunnero descriptarum Dn. Præses in variis animan-
tibus, canibus, vaccis, lepore prius frequenter inqui-
sivit, ipsorumque texturam, postquam in subjectis
humanis, præsentibus nobiscum unà aliis plura eo-
rundem

rundem ratione notâset, in laudatâ Anatome publi-
câ liberius, duodeno aperto explicuit, ususque egregi-
os à conglomeratis hisce corpusculis, homine in colu-
mi fluentes, simulque incommoda, in hypochondria-
cis præcipue passionibus palpabilia, inde pullulantia,
haud obscure innuit) Celeberr. Pejerus Ann. VI. Dec.
2. Ephemerid. Nat. Curios. inseruit: Præter glandulo-
sam (inquit pag. 275. &c.) fabricationem in duodeno
singularis etiam fibrarum nervearum strues reperitur,
carnis tenuissimè divisæ quâdam similitudine. Illæ
namq; conjunctis apicibus in nodulos quasi aut tuber-
cula valde minuta & depressa concrescunt, stipantia
nerveam tunicam, cui penitus hærent adstricta vin-
culis, ut tantò minus de origine & natura dubites. Firma
sunt quoq; tenacia, & vel carne solidiora. Compressa ni-
hil humoris emittunt, nec atteruntur aut abscedunt, cum
velamen intimum seu crusta cum glandulis detrahitur,
nervea enim tunica duplex est (quod in canibus elegan-
ter vidimus) & noduli illi sive tubercula medio utriusq;
membranae complexu detinentur &c. Si quid igitur ju-
dicare valeo, tubercula hæc fibrosa sive exiles nodulos
in duodeno, spirituum animalium gratiâ constructos
arbitramur, ut hâc illi in primis confertim influerent ad
conficiendum chylum, quem vitalitatis quodam quasi
charactere si fas est ita loqui, insigniunt. Deinde his
organis peculiaris excitari sensus videtur refectionis à
pastu. Quid quod victus consumptione ex oriente fa-
me reverâ non superius tantum ventriculi orificium
sed etiam inferius ac maximè duodenum afficiatur?
cujus quidem rei signum evidensissimum puto, tuber-
culorum nerveorum constructionem, quam certis sen-
suum speciebus exprimendis plerumque adhibet natu-
ra. Et fieri nequit bile & succo pancreaticis in duo-
denum cibis vacuum effuso, quin nervei apices singu-
lari

lari ratione commoveantur, adeoq; nervorum haec stimulatio famem vel pariat vel adaugeat. Deniq; ut res sapida lingua admotæ, propter paxillas ejus nervis inter se conspirantibus, salivam movent, alliciuntq; è glandulis in os, ita credibile est cibis è ventriculo ad intestina delatis, mulceri pariter duodeni tubercula sive papillas nerveas, agitariq; in his excubantes spiritus, ut nervorum communicatione invitata bilis & succus pancreaticus, humorg; glandularum abundantius scaturiat. Nihil nunc dicam, quantum hæ partes in vehementibus animi commotionibus irâ, terrore & similibus ad inhibendum præcipue, aut justo impetuosis proportionandum humorem ferociissimum fel tribuere valeant. Illud tantum obiter attingam, mali hypochondriaci doloribus non in ventriculo ipso, sed paulò infrâ eum invadentibus, ac per intervalla recrudescientibus, symptomatum omnium exactissimam rationem reddi posse ab iis, qui partium illarum fabricam penitus cognoverunt. Καὶ ταῦτα μὲν δῆ ταῦτα.



AD



I.

AD RESPONDENTEM.

Daphnis, je ne scaurois com̄ent pouvoir d'ēcrire,
Dans un simple sonnet les illustres progres,
Que dans l'art d'Apollon je vois que Tu as fais
Car ils sont au dessus de ceque j'en puis dire.

Souffre donc seulement qu'en Toy je les admire,
Et ne demande point la dessus mes essais,
Je ne puis m'en meler sans m'imposer un faix
Bien plus pesant pour moy que je ne le desire.

Les maux les plus cruels fuyent de devant Toy
Des que Tu Entreprens d'en destruire la loy;
Chacun s'évanouit quand Tu leur fais la guerre
Et je suis bien certain que jamais de Ton temps
La mort n'osera plus paroistre sur la Terre,
Pour luy ravir aucun de tous ses habitans,

P. L. C. P.



II.

MActe animo juvenis, magni spes magna Parentis,
Atque aude Proavis Te sociare parem.
Ipse vides quid jam de Te non exigat Orbis
HARDERO studiis invigilante Tuis

C

Fiat

Fiat, & ô Genitor spes hinc animosque resumens
Sentiat exilii lætius ire dies
Fiat, & eximia, dicat, me luce renasci
Et porrò in sobole vivere fata solent.
Omen adest isthæc, qua sanas, pagina, corpus,
E' qua vis animi promicat ampla Tui.

J. J. BATTIERII JC.

III.

Miles ut intrepidus studio fervente Galeni
Curris & in Medico pulvere Victor ovas,
Sic meritò ANCILLON: tantos Tibi grator honores
Quos animi Dotes promeruere Tibi.

Sic in signum amicitiae acclamat.

JOH. HOFERVS, Mylhusin,
Sacrae Medicinæ cultor.

IV.

SIsyphus hic saxum per clivia culmina montis
Volvit, at huncce potest vix recreare quies
Ast qui Musarum Genialia castra sequuntur
Hos suavi Pallas casta quiete beat,
Hæc repetenti animo artis Doctissime cultor
Machaonis, Titan det tibi justa. Vale.

Sic gratulatur

A. L. F. G.

F I N I S.